



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Theodvlvs & Agathopvs MM. 4. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

mansit; an quia odoribus, quos memoravimus, illud condivit? *Ex Surio.*

S. THEODVLVS & AGATHOPVS  
M.M. 4. *Aprilis.*

**N**emo vel citò vel serò nimis calidam viam ingreditur, si quidem ingreditur. Iuuenis aetate THEODVLVS, senex AGATHOPVS, parili tamen cursu per Martyrum stadium cucurrerunt, anno à Christi ortu quarto supra trecentesimo. Et THEODVLVS quidè ante cursum, bravium (certè arrham bravii) scribitur è caelo annulum accepisse, qui artificis caeli manum crebris miraculis, quibus omnes passim morbos pellebat, laudavit. Porro cum intra carceres ambo adhuc confisterent, in somnis ab ipso Numine sunt animati, ipsi verò ad fidem exemplo suo adductos alios animarunt. Postridie ad virtutis theatrum (tribunal tyranni) tracti in ruborem hunc, in lassitudinem tortores dederunt. Eà, quæ secuta est nocte, iterum carceribus clausi, idem uterque in somnis somnium viderunt. Naufragium sibi facere videbantur, sed auspiciatum illud, & nimium fortunatum: quòd cæteris quidem, quorum longè plurimi erant, fluctu haustis, ipsi nescio in quem montem caelo contiguum evasissent, candidis ibi vestibibus ornati. Somnium hoc dies explicuit.

In mare cum saxis appendicibus abjecti ipsissimum Olympum subierunt. THEODVLVS deinde multâ luce candidus, inde ad suos revisit, quod testamentum facere esset oblitus. Dixit ergo heredes omnium pauperes, & te quoque inter hujus testamenti executores hodie cupit habere. *Ex Metaphr. apud Surium.*

## S. VINCENTIUS C. 5. Aprilis.

SANCTUS VINCENTIUS antiquâ Ferrerorum familiâ in Hispaniâ natus, primis statim annis documenta edidit Magisterii pietatis, quod vir exercuit, jam puer inter pueros Magnus Orator. Ea initia egregiâ indole ac literarum eximio profectu fecit auctiora, omnem libertatem pertæsus, quæ levitatem oleret. Ingressus S. Dominici familiam, & Christi aspectu, morbo levatus, ejus imperio populos ad poenitentiam evocare institit, tam strenuè quidem, ut satis constet Judæorum viginti quinque millia, totidem ferè Saracenorum, Christo ejus operâ conciliata; Christianorum centum viginti millia eidem reconciliata: publicis flagitiis infamium quadraginta millia ad innocentiam reducta. Ardorem dicentis inde intelligas, quod capitalia ausos cum ad furcam comitaretur, oratione primùm effervescere, mox colliquescere, denique in cinerem